

Karl XII., Schweden, König Stanisaw I., Polen, König

Foedus inter Sacras Regias Majestates Sveciæ & Poloniæ atqve Rempublicam Polonam Conclusum Varsaviæ in Cœnobio Carmelitarum Discalceatorum die XVIII./XXVIII. Mensis Novembris Anni MDCCV.

[Erscheinungsort nicht ermittelbar]: [Verlag nicht ermittelbar], [1705]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn884628914>

Druck Freier  Zugang




ich.
ite.

2



Rg-129 (10)¹⁻⁷ = I.





21
F O E D U S

inter

Sacras Regias Majestates

Sveciæ & Poloniæ

atqve Rempubicam Polonam

CONCLUSUM

Varfaviæ

in Cœnobio Carmelitarum Discalceatorum

die $\frac{XVIII.}{XXVIII.}$ Mensis Novembris

Anni M DCCV.



*In Nomine Sacro-Sanctæ & Indi-
viduæ Trinitatis.*



Niverfis ac fingulis, quo-
rum intereft, notum teftatumq; fit.
Postquam Olivenfe Fœdus, cujus ta-
bulis ftabilita inter Regna Sueciæ ac
Poloniæ amicitia, quadraginta anno-
rum fpatio, intemerata viguerat, ho-
ftili Regis olim Poloniæ, FRIDE-
RICI AUGUSTI, in Livoniam irruptione læfum ac vi-
olatum erat; tanti indè motus funt fe-
cuti, qui gravibus
quidem utramq; nationem affecerant incommodis, Polo-
niam verò funeftis admodùm turbis implicuerant ac di-
fcondijs. Quas componi cùm utriusq; Regni quàm ma-
ximè intereffet; bonâ verò fide tolli hæc mala ac fopiri
poffe non viderentur, nifi amoto eorum auctore, cùm
quieti communi, tum Pactorum veterum perpetuitati pro-
videretur: Respublica Poloniæ non modò Regem fibi ele-
git ac creavit Sereniffimum Principem STANISLAUM
PRIMUM, fed etiam iuftum præ fe tulit defiderium ve-
terem cum Regno Sueciæ redintegrandi amicitiam, con-
folidatisq; cunctis, quæ in priftino fœdere mota ac con-
cuffa invenirentur, arctiori fibi illud vinculo adftingendi,

A

ad li.

ad libertatis & Jurium suorum tuitionem, mutuūq; decus, defensionem, ac emolumentum. Ad hoc institutum cū par studium, nec minorem voluntatem Sacra Regia Majestas Sueciæ attulisset, inter utramq; Regiam Majestatem Sueciæ ac Poloniæ, Serenissimum ac Potentissimum Regem CAROLUM XII, DEI gratiâ Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; Regem, Magnum Ducem Finlandiæ, Ducem Scaniæ, Esthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini-Pomeraniæ, Cassubiæ, & Vandalia, Principem Rugiæ, Dominum Ingridiæ & Wismariæ; necnon Comitem Palatinum Rheni Bavariæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Ducem; &c. &c. &c. & Serenissimum ac Potentissimum Regem STANISLAUM I. DEI gratiâ Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czerniechoviæq; &c. &c. &c. Rempublicamq; Poloniæ, conventum est, ut constituti utrinq; Legati ac Commissarij, Varsaviæ congregarentur, quorum operâ negotium non salutare minùs, quàm necessarium, tractari ac concludi posset. Quemadmodum etiam à S. R. Majestate Sueciæ, missi illuc sunt Legati Extraordinarij, mandatis necessarijs, plenâq; potestate instructi, Illustrissimi ac Excellentissimi Viri, Dominus *Arvidus Horn*, Liber Baro, Satellitum Regionum Præfectus, & Generalis equestris copiarū Dux Vicarius; Dominus *Georgius Wachsblagerus*, Secretar. Statūs; ut & Dominus *Iustus Palmbergius*,

gius, Supremi in Livonia Tribunalis Vice-Præses: à S. R. Majestate verò Poloniae & Republica, constituti sunt Commissarii, pari itidem potestate muniti, Illustrissimi & Excellentissimi Domini, ex Ordine Senatorio quidem: Dominus *Nicolaus in Swięcice Swięcicki*, Episcopus Poseniensis; Dñus *Hieronymus Lubomirski*, Castellanus Cracoviensis, Supremus Dux Exercituum Regni; Dñus *Ioannes Odrowąż Piniqzek*, Palatinus Siradiensis; Dñus *Stephanus Branicki*, Palatinus Terrarum Podlachiae; Dñus *Franciscus Grzybowski*, Castellanus Inovladislaviensis. Ex Ordine verò Equestri, & quidem ex Provincia Minoris Poloniae, Dominus *Venceslaus Ieruzalski*, Vexillifer Terræ Bielscensis; Dñus *Alexander Gzowski*, Dapifer Terræ Bielscensis; Dñus *Casimirus Skiński*, Subdapifer Terræ Drohicensis; ex Provincia Majoris Poloniae, Dñus *Vladislaus à Ponin Poninowski*, Vice-Præfectus Stabuli Regni; Dñus *Ludovicus Antonius bini nominis Lasocki*, Capitaneus Zakrocimensis; Dñus *Vladislaus, Comes à Czarnkow Czarnkowski*; ex Provincia M. D. Lithvaniae, Dñus *Michaël, Comes à Czereia Sapieha*, Notarius Campestris M. D. L. Dolinensis, Retowiensis, Kirsnensis, &c. Gubernator; Dñus *Iosephus, Comes à Czereia Sapieha*, Slonimensis Gubernator; Dñus *Daniel Wybowski*, Niechoroviensis, Reklimensis, &c. Gubernator, qui superiore anno, die $\frac{\text{XXVI. Julii}}{\text{V. Augusti}}$ Warsaviae in Cœnobio Carmelitarum Discalceatorum convenientes, invocato Supremi Numinis

minis auxiliô , tabulis plenæ potentiaë invicem commuta-
tis, opus aggressi sunt. Quod licet paulò post iniquitate
temporum dilatatum esset, hoc tamen anno post Nativita-
tem Salvatoris nostri Millesimo Septingentesimo & Quinto, die
XXIV. Aug. ab iisdem S. R. Majestatis Sueciæ Legatis Extra-
III. Sept.
ordinarijs, & delectis S. R. Majestatis ac Reipublicæ Polo-
niæ Commissarijs, quorum numero ob absentiam quorun-
dam ex prioribus, qui aut non comparuerunt, aut fato-
rum injuriâ à patria inviti absunt, aut spontè in adversas
transiêrunt partes, additi sunt, & quidem ex Senatorio Or-
dine Illustrissimi ac Excellentissimi Domini; Dominus *Chry-
sofomus in Guin Gninski*, Episcopus Camenecensis, Ab-
bas Wagrovecensis; Dñus *Franciscus Zapolski*, Castellanus
Siradiensis; Dñus *Franciscus in Dembiany Dembinski*, Ca-
stellanus Sandecensis: Ex Ordine verò Equestri, & quidem
ex Provincia Minoris Poloniæ, Dñus *Stanislaus Comes in
Melsztin Tarlo*, Præfectus Culinaë Regni; Dñus *Franci-
scus in Włodzisław Lanckoronski*, Succamerarius Gene-
ralis Palatinatûs Cracoviensis ac Zatoriensis & Oświęci-
mensis Ducatum, Wielicensis, Bochnensis, Robnicensis, &c.
Capitaneus; Dñus *Andreas à Zydowo Zydowski*, Vexillif-
fer & Judex Castrensis Cracoviensis; Dñus *Albrachtus à
Dembiany Dembinski*, Vexillifer Ducatum Zatoriensis &
Oświęcimensis. Ex Provincia Majoris Poloniæ, Dñus *Fran-
ciscus à Bim Radzenski*, V Schovensis Gubernator. Ex
Pro-

Provincia M. D. Lithvaniæ, Dñus *Christophorus Comes in Bakszty & Berdyczow Zawisza*, Minscensis, Czeriscensis, Dolinensis Gubernator; Dñus *Iosephus Piotrowski*, Tribunus Czerniechoviensis, renovatis auspicijs, feliciter adeò continuari cœptum est, ut in mutuas tandem Fœderis & æternùm duraturæ amicitiaë leges consenserint, tenore sequenti.

Articulus I.

Maneat pax perpetua: sit vera sinceraq; amicitia, inter Serenissimum ac Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum CAROLUM XII. DEI gratiâ Suecorū, Gothorum, Vandalorumq; Regem, Magnum Ducem Finlandiæ, Ducem Scaniæ, Esthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini-Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliaë, Principem Rugiæ, Dominum Ingridiæ & Wismariæ; necnon Comitem Palatinum Rheni Baviariæ, Juliaci, Cliviæ & Montiu Ducē, &c. &c. &c. Ejusq; Regiæ Majest. Successores ac Posteror Reges Suecorum, Regnumq; Sueciæ, necnon subjectas illis Regiones ac Provincias ab una; atq; Serenissimum ac Potentissimum Principem ac Dominum, Dominum STANISLAUM I. DEI gratiâ Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czerniechoviæq; &c. &c. &c. Ejusq; Regiæ Majestatis Successores ac Posteror Reges Poloniæ, Magnos Du-

ces Lithvanizæ, atq; subjectas illis Regiones & Provincias ab altera parte; ita ut altera pars alteri nihil hostilitatis unquam aut inimicitizæ, clam aut palàm, directè vel indirectè inferat, vel per suos aut alios inferri faciat, nec alterius hostibus auxilia quocunq; nomine præstet: non cum alterius hostibus fœdera huic Pacto contraria ineat: nec quicquam in alterius statûs & securitatis diminutionem per se vel alios moliatur; sed ut utraq; pars alterius utilitatem, honorem ac commodum quærat ac promoveat: & fidam invicem pacificamq; vicinitatem colat ac servet: pericula quoq; alteri imminetia, quantum possit, amoliantur ac præveniant; necnon tempestivè moneat, si quid alteri discriminis instare intellexerit. Pacta verò ac fœdera, quæ cum alijs Principibus ac Statibus utraq; Pars sancita habet, in antiquo vigore conserventur: ita tamen, ut huic fœderi nihil quidquam derogare possint.

Articulus II.

Pax Olivenfis huic Tractatui, ut basis & fundamentum inviolabile substernitur, adeoq; ad omnia sua Capita, Articulos & Clausulas, tanquam verbotenus hîc inserta esset, confirmatur, nisi quatenus aliter jam statutum, uberiusq; explicatum, vel in posterum ob utriusq; Paciscentium partis commodum, & ad præsentis motus componendos, vel per rationes belli mutuo consensu statuere & decernere necessarium fuerit.

Arti-

Articulus III.

§. 1. Cùm ex bello hoc, quod factio Saxonica, excitaverat, non pauca in utramq; gentem redundassent incommoda; ea omnia, quocunq; tandem nomine, sive molestiæ, hostilitatis, onerum aut studij partium veniant, generali hâc amnestiâ perpetuæ tradantur oblivioni; nec uni Partium post hunc diem liceat eorum, quæ ita acta sunt, alteri quidquam imputare, exprobrare, aut quempiam illorum, qui alteri parti adhæssissent, propterea accusare aut persequi.

§. 2. Hâc generali amnestiâ gaudeant omnes & singuli, cujuscunq; statûs, conditionis, & Religionis fuerint, ut & omnes Communitates, quæ utrinq; partes beligerantes secutæ sunt, aut in hostilem potestatem devenerunt; præsertim autem ij, qui relictâ parte contrariâ, salutare in publicum Confederationis Majoris Poloniæ sensus amplexi sunt, ejusdemq; boni publici promovendi, & salvandæ Patriæ conatus operâ suâ adjuverunt, aut non impediverunt; quibus anteriores actiones, studia partium, & hostilis in Paciscentes animus neutiquam nocent, sed cuncta perpetuæ oblivioni tradentur.

§. 3. Cùm verò quorundam impietas, augendæq; per mala Reipublicæ fortunæ studium, ingentum tam Regno Sueciæ, quàm Poloniæ æumnarum dederit occasionem: proinde excluduntur ab hac amnestia omnes, qui unâ cum factione Saxonica pacem publicam & amicitiam inter

am inter

am inter Sueciæ & Poloniæ Regna perturbârunt, qui parti contrariæ contumaciter & præfractè adhærentes, non tantùm salutem publicam variè morati sunt, & adhuc morantur, vel morabuntur; sed & hostium Reipublicæ destinatis omni modo faventes, contra Rempublicam, ejusque Fœderatos, exercitus ducere, consilijsq; aut aliâ ratione, Reipublicæ mala augere & protrahere ausi, interitum ejus jugiter promotum ivère. In hos omnes licèt ex rigore patriarum legum animadvertendum esset, ita ut tanquàm hostes Patriæ ac perduelles honoris, bonorum, vitæq; jacturam meruisse censerentur: quò tamen utriq; Regno quies ac tranquillitas tantò faciliùs restituatur, animiq; civium coalescant, detur illis resipiscendi spatium trimestre, à die conclusi & subscripti Tractatûs computandum; ita, ut intra determinatum tempus resipiscentes, & ad meliorem mentem redeuntes, testimonijs documentisq; authenticis, & ipso factò bonam fidem ac sincerum animũ comprobantes, S. R. Majestatis Sueciæ gratiam quærentes, Serenissimiq; Regis STANISLAI ac Reipubl. Fœderatæ obsequium amplectentes, idem amnestiæ beneficium, & præteritorum oblivio complectatur. Quod si neglexerint, utraq; Paciscentium pars illos ut hostes, eâ, quam merentur, severitate ubivis locorum persequetur.

Articulus IV.

§. I. Quemadmodum AUGUSTUS, Rex quondam Poloniæ, hâc amnestiâ comprehendi nequit, ita ille,
omnes-

omnesq; illius partibus adhærentes, five Saxones sint, five alterius nationis, pro utriusq; Regni hostibus habendi, ac tandiù hostiliter persequendi, donec Reipubl. finibus penitus eijciantur. Neq; ulli parti Paciscentium liberum erit cum ijs transigere, inducias facere, pacem inire, aut ullam aliam conventionem stabilire, sine mutuo utriusq; partis consensu, cujus hæc necessaria erit conditio: ut dictus Rex AUGUSTUS Coronæ Poloniæ, omniq; juri, quod ad ipsam prætere velle, renunciet, & S. R. Majestati Sueciæ, ut & Reipub. Poloniæ pro omnibus molestijs damnisque, quæ hujus belli occasione passæ sunt, satisfaciatur.

§. 2. Et sicut hoc bellum contra Jura & Constitutiones Reipublicæ Poloniæ cœptum improbatur, ita jam S. R. Majestas & Respublica Poloniæ Clarigationem initio hujus belli, à Rege AUGUSTO contra S. R. Majestatem & Regnum Sueciæ editam, declarant nullo fundamento nixam, nullam & irritam, uti & omnes criminationes, quæ in ea allegantur, pro non competentibus, & nullius valoris; cùm Respublica in præfata Clarigationis promulgationem nunquam consenserit. Quemadmodum Serenissimus Rex & Respublica Poloniæ ad suam censuram pertinere non existimant, quidquid Serenissimo Regi Sueciæ in subditos Livoniæ suæ, aut aliarum Regni Sueciæ Provinciarum, visum fuerit statuere,

§. 3. Decreta & Statuta, quæ vulgò Lauda vocantur, quocunq; tempore, nomine, & loco, tam in Regno

B

Polo-

Poloniæ, quàm in Magno Ducatu Lithvaniæ, præsertim verò in Varfaviensi Senatûs-Consilio, Mariæburgensi, Thorunenfi, Elbingensi, Javoroviensi, Sandomiriensi, Cracoviensi, Brestensi, Olkinnicensi; & alijs Congressibus, tam extra, quàm intra Provincias Regni & Reipublicæ, durante hoc bello, per AUGUSTUM Regem, ejusq; aseclas peracta, non tantùm in everfionem Statûs Reipubl. Polonæ, sed etiam in sublationem pacis publicæ, per Pacta Olivenfia cum Regno Sueciæ conclusæ & stabilitæ; tum & ipsa Comitia Lublinsia, uti libertati Polonæ nociva, & ipsis Pactis Olivenfibus contraria, Decretaq; in contumaciam Tribunalitia, cæterorumq; subselliorum M. D. Lithvaniæ, durante hoc bello, contra adhærentes partibus Pacifcentium; in Regno verò Poloniæ post remotionem Regis AUGUSTI, quovis loco & tempore à parte contraria, lata, confiscationes bonorum, & abrogationes dignitatum, pro irritis & nullis declarantur.

Articulus V.

Sacra Regia Majestas & Respublica Poloniæ improbant, irritaq; pronunciant omnia fœdera vel Pacta, quæ cum alijs Principibus Statibusq; antehac sancita sunt, quatenus S. R. Majestati Regnoq; Sueciæ noxia deprehenduntur: præcipuè autem ea, quæ à Rege AUGUSTO in Clarigatione superius abrogata allegantur, ibiq; ad conciliandam injusto huic bello aliquam speciem recensentur. Pari modo Serenissimus Rex & Respubl. Poloniæ nullum
propr̃us

prorsùs Fœdus pacifcentur vel concludent cum antè memoratis, aut alijs extraneis potestatibus, quòdin damnum aut præjudicium S. R. Majestatis Regniq; Sueciæ vergere poterit; nec Respublica Regibus suis ulla fœdera inire permittet, quæ Regibus Regnoq; Sueciæ contraria sint, sed ea impedit & improbabit, quemadmodum etiam ea hinc in antecessum pro nullis declarat.

Articulus VI.

Quoniam Czarus Moscoviæ non modò facem præfenti bello subdidit artibus & moliminibus suis, sed etiam ad illud profequendum, cum armis copijsq;, tum pecuniâ Regem AUGUSTUM adjuvit, & adhuc adjuvat, maxima damna & detrimenta utriq; Regno intulit, & etiamnum infert; idcirco Pacifcentes mutuo consensu de eo conveniunt, quòd ab hoc Fœdere non tantùm excludatur, sed etiam quòd cum S. R. Majestate Sueciæ, S. R. Majestas & Respublica Poloniæ arma sua contra eum conjungant, iisque ipsum tam diù persequantur, usq; dum pro illatis utriq; parti injurijs & damnis, tyrannideq;vè, quam in terras & subditos utriusq; Regni exercuit, ad desiderium satisfecerit. Quemadmodum etiam unanimi consensu statutum est, ut neutra pars Pacifcentium inducias, pacem, aut quæcunq; demùm Fœdera Pactavè cum eo inire possit aut velit, nisi præviâ mutuâ deliberatione, communicatisq;ve rationibus & consilijs.

§. 2. Quo autem modo, quibus conditionibus arma conjungenda, quoque numero, & quibus in locis auxilia præstanda sunt, peculiari Pacto convenietur.

Articulus VII.

Sacra Regia Majestas Sueciæ hisce quoque promittit S. R. Majestati & Reipub: Poloniæ auxilia sua contra præsentem eorum hostes, quòdque arma sua non prius revocatura sit, quàm, DEO favente, Serenissimus Rex & Respublica in quiete & securitate sint constitutæ.

Articulus VIII.

Si, annuente Supremo Numine, à S. R. Majestate Sueciæ, vel auxiliaribus Eiusdem armis, Provinciæ & loca aliqua munita, quæ anteriori bello per Czarum Moscoviæ Reipub: Poloniæ ademta sunt, recuperata fuerint; repensis S. R. Majestati Sueciæ sumptibus, Reipub. Poloniæ restituentur.

Articulus IX.

Loca munita Regni Poloniæ & M. D. L., quæ S. R. Majestas Sueciæ præsentem tempore tenet, vel in posterum ex circumstantiis hujus belli ab hostibus capere poterit, eadem S. R. Majestas teneat, ibique præsidia sua, durante hoc bello, habeat & collocet.

Articulus X.

Sacræ Regiæ Majestati Sueciæ liberum erit, per totam Prussiam, ejusque Urbes, oppida & pagos, aliasque Reipubl.
Provin-

Provincias, ubicunq; visum fuerit, milites exercitumqve conducere, & supplementa facere, durante hoc bello, atqve tandiù Serenissimo Regi Sueciæ propter motus Polonicos copias suas intra fines Reipubl. retinere necesse fuerit; ita tamen, ne delectus militum Serenissimi Regis Poloniæ ullo modo impediatur.

Articulus XI.

Quòd si S. R. Majestati Sueciæ copias, apparatus bellicum, aliasvé res suas ex Polonia vel Lithvania, aliò per mare vel flumina transportare necesse fuerit, non modò iisdem portus Reip. patebunt, sed etiam cujuscunqve magnitudinis & generis naves ad eas trajciendas sine ulla remora vel objectis obstaculis concedentur.

Articulus XII.

Si alterutri Regnorum, Sueciæ & Poloniæ, M^oq; D. L. bellum cum vicinis eorum gerere contigerit, altera pars alterius hostibus, hostiumq; adiutoribus nullam bellicam suppellectilem, vel vetitas merces advehet, vel quocunq; modo suppeditabit, aut advehi vel suppeditari faciet, aut finet. Prætereà nullos transitus militum fieri, nullaqve cujuscunq; generis auxilia præstari iisdem permittet, nec ullâ ratione in alterius partis damnum favebit.

Articulus XIII.

Quòd si, post finitum hoc bellum, quispiam ex Regni Poloniæ vel M. D. L. incolis vel civibus arma contra

S. R. Majestatem Sueciæ sumere, Ejusq; Regna vel Provincias hostiliter aggredi aut infestare, quemadmodum hoc bello factum est, ausus fuerit, vel tentaverit, S. R. Majestas & Republica Poloniæ se præsentis Fœdere obstringunt, quod talia molimina cœptave serio reprimere, delinquentes debitâ pœnâ afficere, atq; Serenissimo Regi Regnoque Sueciæ pro illatis damnis satisfacere velint.

Articulus XIV.

Omnes, qui hoc bello, quocunq; in loco capti, vel posthac capientur, sive Sueci sint, sive Poloni, sive alterius nationis, cujuscunq; demùm sortis vel generis, conditionis ac statûs, sub signis Sueticis, vel Polonicis, vel Lithvanicis militârunt, sine ullo soluto pretio, finito hoc bello, pristinae libertati restituentur. Sicut & illi, qui ob delicta sua captivi detinentur, tunc reddentur Dominis suis, ut pro arbitrio cum ipsis agant. Si autem natione Sueci, aut alij, qui arma Suecica gestârunt, in Tartariam aliasve Regiones finitimas in captivitatem abducti comperiantur, Serenissimus Rex & Republica Poloniæ ad liberandos eos, si reperiri possint, sedulam operam navabunt. Qui durante captivitate debita contraxerint, eadem solvere, vel vadimonium dare tenebuntur.

Articulus XV.

Si quis Suecorum subditorum, qui hostis signa vel partes secutus est, à copijs Polonicis captus fuerit, is sine
omni

omni cunctatione Sueticæ militiæ Præfectis reddetur. Pari modo S. R. Majestas Sueciæ Regni Poloniae cives aut subditos, ejusdem delicti reos Reipub. restituere vult, præviâ cautione, ne hostibus denuò seruiant.

Articulus XVI.

Omnes subditi Suetici, sive milites, sive rustici, aut cujuscunq; conditionis & statûs homines, qui, hoc bello, è regionibus Sueticis in Provincias Reipub. transfugerint, sine ulla mora, ubicunq; deprehendantur, cum uxoribus, liberis, familiâ, bonis & rebus suis, Dominis eos requirentibus, reddentur & restituentur. Nec ulli Regni Poloniae civi vel subdito è territorio Suecico profugos apud se recipere & celare liberum erit; sed tales cum venerint,prehendet, & in custodia detinebit, donec Domino, vel proximè adjacenti Urbi, vel loco munito significatum fuerit, qui eos recipient & abducent. Idem vice versâ observabitur, si qui fugitivi è territorio Polonico in Provinciis Sueticis reperti fuerint. Cavetur tamen, ne Civitati Rigenfi in Jure suo præscriptionis biennalis, quòd in fugitivos è Regionibus Reipub. ab ijs temporibus, quibus Episcopis & Magistris Ordinis Teutonici paruit, continuâ temporum serie habuit, Regesq; Poloniae pluries illi confirmârunt, quicquam decedat, sed ut eodem Civitas vetusto Jure, in posterum, velut hæctenus, illibato fruatur; salvâ tamen restitutione honorum, si existant, quæ eosdem, transfugas secum injustè abstulisse probari potest.

Arti-

Articulus XVII.

Quæcunqve in Jll.^{nam} Sapichanam Domum, cæterosq; Lithvanicæ nationis, à Factione Saxonica eo nomine sancita sunt, quòd ejus cœptis ac moliminibus obstiterunt, hoc Fœdere in perpetuum abrogata sunt: & ne in posterum ad similia deveniatur, in auctores adversæ factionis, qui per ruinam hujus Familiæ Rempubl. simul oppressum iverunt, violatâqve securitate publicâ, Præfectum Stabuli in Magno Ducatu Lithvaniæ, Jll.^{em} Comitum Michâelem Sapiham, crudelissimè trucidârunt, ex rigore patriarum legum animadvertetur; & utraqve Paciscentium pars de dicta cæde curabit satisfactionem fieri. Dicta autem Domus, cæteriç cum illa oppressi, in pristinam dignitatem, honores, munia, prærogativas ac fortunas, factâ refusione damnorum, ab usurpatoribus omnimodè restituentur. Bona verò regalia, quæ hisce in Conspirationis præmium cesserant, ad primos possessores redeant: Utraçq; demùm Paciscentium pars cavet, ut non ea modo, de quibus ita hîc conventum est, executioni mandentur; verùm etiam, ut eum, eosqve, qui dictam Domum, cæterosq; cum ea oppressos, hac ex occasione perturbare in posterum, & persequi instituerint, pro perturbatoribus pacis publicæ habeat & vindicet.

Articulus XVIII.

§. I. Sacra Regia Majestas Poloniæ & Respublica
rati-

ratihabent, ac se tuturas declarant pacem ac securitatem, quam Dissidentes à Religione Romano-Catholica tam in Polonia, quàm Lithvania nacti sunt, Confœderationibus, Pactis-Conventis, Confirmationibus Jurium, & ipsismet Juramentis Regum firmatam: adeò ut Protestantium Religioni addictis, quamdiù pacificè se gerant, fides, quam profitentur, damno non sit futura, aut quocunq; prætèxtu impedimentum adferatur, quò minus locis solitis ac concessis sacra ritè peragant, liberosq; suos in Religione avita instruere ac educare possint. Si quæ actio cuiquam eorum Religionis causâ intentetur, illa non ex capite Arrianismi, sicut Arrianorum, dijudicabitur.

§. 2. Civitatibus Prussiae omnia Jura, Immunitates, Privilegia, Jurisdictiones & Prærogativæ, quibus sive in Ecclesiasticis, sive Profanis, ante vel post factam pacem Olivensem potitæ sunt, juxta eandem pacem Olivensem, conservantur & confirmantur. Si verò aliqua postmodum contra eadem acta vel tentata fuisset inveniantur, à S. R. Majestate Poloniæ & Repub. dijudicabuntur, & non modò irrita injustaq; declarabuntur, sed etiam abrogabuntur, & abolebuntur, pristinoq; statui restituentur. Sicuti etiam Serenissimus Rex & Respub. Poloniæ hisce spondent, sancteq; promittunt, quòd nullam infractionem vel mutationem dictis in rebus in posterum facient, vel fieri sinent.

C

Arti-

7
Articulus XIX.

Sint inter Sueciæ & Poloniæ Regna, M. D. Lithvaniæ, ut & inter Ruffiæ, Pruffiæ, Samogitiæ, Curlandiæ, totiusq; Livoniæ incolas & subditos, tam terrâ, quàm mari, libera, & secundùm veterem atq; antiquum usum non impedita Commercia. Dictum verò pristinum & veterem usum inter alia in sequentibus consistere, & observari debere, utrinq; conventum est; nempè:

§. 1. Ne portus & nova emporia, alibi quàm Rigæ debeant erigi, aut frequentari; sed merces ex Lithvaniâ, Prussia, Ruffia, Samogitia, Curlandia, aliisq; Provinciis, ad solum portorium & forum Rigense, secundùm morem & antiquam consuetudinem Privilegiis & Pactis cautam, conferri, ibiq; venire & distrahi, indeqve ad naves evehi debeant: iis verò, qui nihil Rigæ debent, aut ibi contraxerunt, liberum sit, merces suas domi vendere, aut Rigam, aut Vilnam transferre.

§. 2. Ne mercibus aut mercatoribus, Rigam tendentibus, aut inde venientibus, impedimenta ulla fiant; neglecta hætenùs viarum, pontium aut pontonum, trajetuumq; resectio in Ducatu Lithvaniæ, Ruffiæ, Pruffiæ, Samogitiæ, Curlandiæ, & aliis locis, ubi ab antiquo fuerunt, quantocyùs fieri, & facta tecta conservari debet.

§. 3. Ne cives Rigenses in jam dictis locis in libera cõemptione rerum necessariarum, boum, lignorum, piscium, aliarumq; rerum, impediatur, aut prohibean-

tur, se-

tur, secundum veterem praxim; salvis teloniis Regiis & Reipub. ab antiquo desuper constitutis.

§. 4. Ne bona naufraga, ipsæq; naves, vi ventorum aut tempestatis, in littora & brevia adactæ, ceteræq; res omnes quocunq; locorum, aut in mari, aut in fluminibus, à quoquam occupentur, aut sub quovis prætextu detineantur; sed Dominis atq; proprietariis absq; ulla tergiversatione restituantur, nec præter æquum & justum, pro solo salvationis labore, præmium inter partes, si ipsemet eâ de re convenire non possint, à Judicibus juratis determinandum, quidquam exigatur. Infortunium ejusmodi passis, quocunq; modo ab accolis littorum atq; fluminum aliisq;, auxilium invitis non obtrudatur; sed liberum sit pro lubitu, aut cum nautis suis, aut cum aliis quibusvis, quos illi ipsimet ad istud vocaverint, res suas salvare, & sibi opem ferre ac quærere. Neque quando auxilio indigent, idq; per signum quoddam indicant, adstricti sint expectare, donec illi, qui fortè à Dominis fundi vel ripæ ad id destinati sunt, veniant, sed quemcunq; qui prior est, recipere, ipsiusq; operâ, pro debita satisfactione, uti fas sit. Quemadmodum licitum cuilibet sit, ad ejusmodi signum datum, sine mora accurrere, & quo potest, meliore modo, in periculo constitutis opem ferre. Scopulos quoq; ad quos ferè quotannis naves & rates, cum maximo commerciorum damno & impedimento, allidi & frangi solent, remove, non
C 2 requi-

requisito fundi Domino, nisi ipsemet monitus, hoc prestare vellet, cuilibet liberum sit, citra tamen jus eo nomine, à mercibus aut navigiis prætereuntibus, aliquid exigendi.

§. 5. Ne novis teloniis, aliisque impositionibus quibuscunque, contra Pacta Olivenfia, personæ & merces Rigam devehendæ, in Russia, Lithvania, Samogitia, Curlandia, aliisque locis graventur: vice etiam versâ subditi Polonici in Livonia eodem jure gaudeant. Ideoque quæ contra dicta Pacta in hac re facta sunt, injusta declarentur & aboleantur, taliaque in posterum fieri prohibeantur. Quemadmodum etiam mos iste, qui post factam Pacem Olivensem in Regionibus Reipub. invaluit, quo scilicet mercatores, & alii subditi Suetici, Polozkam, Witepzkum, Dziznam, aliasque ad fluvium Dunæ Urbes & loca adeuntes, censum trium, quatuor, aut quinque Thalerorum Imperialium per singula capita solvere coacti fuerint, non modo improbatum & rejicitur, sed etiam, si quid in posterum ejusmodi evenerit, in casu protractæ vel denegatæ justitiæ, Jus talionis in incolas Reipub., in territorium Sueticum venientes, exercere licebit.

§. 6. Ut merces omnes, ex dictis locis Rigam delatæ, censuram publicam per juratos censores subeant, & merces, quæ non bonæ notæ sunt, Dominis suis restituantur, ut de iis pro lubitu disponere liceat.

§. 7. Ne Nobilibus, subditisque Polonicis, simul
cum.

cum duobus de mercibus suis contrahere, aut, postquam quisquam illorum ab uno cive Rigensi pecuniam mutuò accepit, postea quoque ab altero, incio priore, sumere liceat: quo facto anterior creditor, tanquam tempore prior, potius jus & præferentiam in omnibus debitoris sui mercibus pro pretio, quod tunc communiter est, habeat, reliquique Creditores paratâ pecuniâ, à priore Creditore exsolvenda, contenti sint.

§. 8. Ne dicti Nobiles & subditi Poloni, tempus de mercibus suis certum & determinatum pretium communiter statuendi protrahant, præcipuè illi, qui debita contraxerunt Rigæ; sed ut teneantur, quando tempore verno cum ratibus & navigiis suis, vulgò *Struzi* dictis, mercatores ad numerum circiter viginti descenderunt, pretio cum civibus Rigensibus intra octiduum convenire; tempore verò autumnali, quia tunc navigatio minorem moram patitur, statim post adventum suum.

§. 9. Cum ab antiquissimis temporibus etiam rustici Lithvanici, æquè ac alii, postquam Dominis suis præstanda præstiterunt, liberam vecturam mercium reliquarum ad Civitatem Rigensem habuerint, & plurimi eorum ibidem multa debita contraxerint, eadem iis in posterum negotiandi libertas relinquatur: nec Domino fas sit, contra veterem usum, & in fraudem Creditorum, ipsorum merces ab illis cõemendo impedire, quò minus Rigam venire, & debita sua solvere possint.

§. 10. Quicumq; contractui suo non satisfacit, ejus bona omnia, tam mobilia, quam immobilia, eorumq; reditus, ubicunq; locorum sint, Creditori suo, hypothecæ loco, obligata maneant: & quamvis ipse debitor morte extinctus sit, heredes ejus, aut quicumq; occupator atq; possessor, debitum solvere teneatur; nec liberum sit, ejusmodi bona, eorumq; proventus, in fraudem Creditoris, emere, nisi depositâ in Judicio, aut alio loco tuto, pecuniâ, ad satisfactionem Creditoris.

§. 11. Securitas in utrisq; Regnis, eorumq; Provinciis, aquâ & terrâ peregrinantibus, & res atq; negotia, sua curantibus, præstetur, tam pro personis, quam bonis suis.

§. 12. Quæ ratione mensuræ & ponderis, inter subditos Poloniæ M. q; D. Lithvaniæ, & Cives Rigenses conventa sunt, ea strictè observari debent.

§. 13. Cùm penes fortalitium Kokenhusen subditi Polonici navigia sua, quando ibidem visitantur, propter rapiditatem fluvii Dunæ, sæpiùs perire, naufragiumq; pati querantur, commodior, si fieri potest, locus per Commissarios, ad id deputandos, eligi, ibidemq; visitatio fieri debet.

§. 14. Nemo mercatorum Rigensium famulo vel servo alicujus Poloni pecuniam dabit, plenipotentiam vel assignatione Domini sui non instructo.

§. 15. Si subditus aliquis Lithvanicus debita apud
Rigen-

Rigenſes contracta non ſolverit, bona alterius, eam ob cauſam, arreſto nunquam ſunt proſequenda; ſed ipſe debitor, ejuſq; fidejuſſores, ſoli ad ſolvendum adigi debent.

§. 16. Quâ ratione debita inter Inſtitores vel mandatarios, & ſubditos alios Poſonicos, cum civibus Rigenſibus, in poſterum ita contrahi & probari debeant, ut nec Creditoribus, nec debitoribus injuria fiat; & quæ præterea ratione commerciorum, eorumq; commodioris uſûs, utrinque moneri poſſint; ea, cum ab ipſis contrahentibus ex conventionem deſuper facta, melius determinari queant, per Commiſſarios utrinq; ab ipſiſmet denominandos, in loco ipſiſ commo, complanari, & poſtmodum à Regibus utriuſq; Regni ratiſhaberi & confirmari poterunt.

Articulus XX.

Debita inter utriuſq; Regni ſubditos, literis, chirographis, Contractibus, aliſq; legitimis modis probata, ſive antè, ſive durante hoc bello, contracta, aut in poſterum contrahenda ſint, ritè atq; exactè ſolvi debent; & Creditoribus opem ipſorum, qui in quolibet loco, regione ac Provincia, Judiciis, aut incolis, cum imperio præſunt, deſiderantibus, ſine ulla mora Juſtitia adminiſtrari, ipſiſq; ſtatim, ad deſideria ipſorum, reſponſum literis conſignatum extradi debet. Sententiæ, aut Decreta ſuper debitis, aliſq; rebus, inauditâ partis petentis cauſâ, lata, irrita & nulla ſint, omniq; proſûs effectu in perpetuum careant; ita ut actori illegitum ſit, cauſam tuam legitimâ

juris

Juris viâ postmodum liberè prosequi, ac si nunquam Judicium aliquod, aut nulla sententia intervenisset.

Articulus XXI.

Cùm antehàc Pofnaniâ Sedinum versùs, per fluvios Wartam & Oderam, mercium transitus liber fuerit, commerciumqvé inter eandem, aliasqvé ad dictos fluvios adjacentes Urbes, locaqvé, in magnum utriusqve Regni incolarum emolumentum vigerit; Navigatio ista per fluvium Wartam, undè potest esse navigabilis, in posterum libera & immunis reddetur, ideòqve molendina, aliaqve ædificia, quæ, super dicto fluvio exstructa, navigationem impediunt, destruentur, & tollentur.

Articulus XXII.

Quandoquidem, contra veterem usum, & in damnum tam Civitatum Livoniæ, quàm Prussiæ & Curlandiæ, novus Portus ad Polangam ante aliquot annos exteris navibus frequentari cœperat; ideò desolabitur, nec ibi, nec alibi, novus quispiam portus erigetur, aut præter antiquos frequentabitur. Prout etiam nulli abhinc, sive indigenæ, sive extraneo, illuc vela facere, vel cujus unqve fortis merces inde transportare licebit: Quod si quis tentaverit, eum prohibere & abducere, Suecis fas erit, mercibus cum navi publicatis.

Articulus XXIII.

§. I. Mercatores Suetici, quibus in Polonia, sive
per

per Provincias, & flumina ejusdem, mercaturam institue-
re, & exercere volupè fuerit, eodem usu, iisdemqvé, ut
alii amicissimarum nationum mercatores, libertatibus, præ-
rogativis, & Privilegiis ibidem gaudeant.

§. 2. Imprimis liberum sit Sueticis subditis, merca-
toribus eorundemqvé Institoribus omni onere exemptis,
commorari non solum, prout antehac moris fuit, Geda-
ni, verum etiam in aliis majoris minorisqvé Poloniæ Ci-
vitatibus, utpotè Thorunii, Varfaviæ, Cracoviæ, Lublini,
Leopoli, & Jaroslaviæ; atqve in Civitatibus Lithvanicis,
aliisqvé fluminibus proximè adjacentibus locis: ibiqvé
merces quascunqve venales pro lubitu còemere, & ad Ur-
bes maritimas, terrâ aut aquâ, in scaphis & navigiis, quæ
aut ipsimet sibi comparare, aut pro justo pretio ab aliis
conducere possunt, transportare, absqve ullius, sub certa
dictanda pœna, turbatione, vel interruptione.

§. 3. Conceditur Sueticis mercatoribus, pro quo con-
veniri potest, ordinarium tamen non excedente, sed usitato
pretio, singulis annis ex Salifodinis Reipub. emere cer-
tam copiam Salis, eamqvé vel in magnis partibus, pro-
ut frangitur, vel coctam, ad Urbes maritimas, atqve il-
linc postmodum in Sveciam transmittere, solutis, quæ
Reipub. pendi solent, vectigalibus.

§. 4. Similiter quoqve varias Ungaricas merces, ut-
potè vinum, carnem bovinam, coria, adipem, ceram, &
ejusmodi alios fructus, apud Ungaros venales emant, &
eosdem-

D

eosdemqve ex Ungaria per territoria Polonica tuto abducant, avehant, & exportent.

§. 5. Quascunqve demum merces & mercimonia, quæ vel in Polonia, vel ex vicinia Ungarica cõemuntur, integrum sit Sveticis incolis, solutis tantummodò teloniis ordinariis & usitatis, exportare, & ad Urbes maritimas, terrâ vel aquâ, avehere; ita tamen, ut modò dictæ merces in aliquo loco Polonico, in mercatorum Polonicorum noxam aut præjudicium, non possint divendi.

§. 6. Contra autem commercia, quæ Moscovitæ per Poloniam & Lithvaniam cum exteris nationibus aliquo tempore exercuerunt, prohibeantur, utpotè non modò Civitatibus Polonicis summè noxia, sed etiam Juribus & Privilegiis earum repugnantia: adeò ut nullas abhinc merces è Moscovia in alias Regiones, vel ex illis in Moscoviam, per Reipub. Provincias transmeare licitum sit, sed ejusmodi merces in Civitatibus Polonicis deponentur, & dividentur, secundum veterem legem & consuetudinem, in locis lege descriptis; iis tantummodò exceptis, quæ longo usu, aquâ vel terrâ, ex Moscovia per territoria Reipub. Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ Rigam vehuntur, quibus eadem, quæ hactenus, transeundi libertas concedetur.

Arti-

Articulus XXIV.

Quòd si ex incolis Regni Sveciæ, ejusqvé Provinci-
rum, Jure conductionis, vulgò Arendæ, ad extenuationem
vel perceptionem summæ pecuniarum, mutuo datæ, Bo-
na Nobilium, aut Regalia, acquisiverit in Polonia, &
Magno Ducatu Lithvaniæ, quamdiù illa possederit, Rei-
publicæ patrocínio, & securitate ac Privilegiis gaudeat,
ac Jurisdictioni subjaceat, uti incolæ ejusdem.

Articulus XXV.

Cùm ad commerciorum faciliorem usum, & nego-
tiorum quorumcunqve promotionem, quoqve spectat Po-
starum seu Tabellariorum publicorum liber cursus, S. R.
Majestati Sveciæ, prout antè, & durante induciarum
tempore, & postmodùm in continuo usu fuit, posthàc
quoqve liberum sit, tam veredariis, quàm equitibus per
quascunqve Reipub. Provincias & territoria istum usum
continuare, ideoqvé ubicunqve Tabellarii, Insignibus Co-
ronæ Sveciæ muniti, seu abeant, seu revertantur, non
tantùm nullo modo, nullâqve sub specie, detinebuntur,
vel impedientur; quò minùs tempore, cursuqve consveto
salvi, liberi, & inviolati cum literis, vecturâ, homini-
bus & equis transeant; verùm etiam certa iisdem stati-
onum loca, vel hospitia assignabuntur, quâ, ut o-
pus fuerit, divertere, requiem capere, & equos commu-
tare, ac justo pretio conducere possint.

Articulus XXVI.

Conventum quoque est, ut omnis moneta depravata, sic & solidi Vallachici, vulgò Dumnicze, abrogentur, cursusque eorum, vigore Tractatus presentis, interdicitur; salvo usu solidorum Regni Poloniae ordinariorum in Regionibus ejus. Quando verò in tranquillo statu Republica, monetam cudere novam statuerit, talem cudi curabit, quæ pretio & valori monetæ Regni Sueciæ, ejusque Provinciarum, respondeat.

Articulus XXVII.

Ad omnimodam vim & firmitudinem presenti Fœderi conciliandam, S. R. Majestas & Respub. Poloniae idem cum omnibus suis Punctis, Articulis, & Clausulis, se candidè sanctèque servaturas, hisce in presentiarum testantur. Quod verò ad tempora futura attinet, Respub. Poloniae promittit, & spondet, se singulos Reges suos, continuâ ferie regnatos, ad ejusdem observationem, per Pacta, Conventa, & Juramentum Coronationis, obstringere velle, & debere; quemadmodum se ipsam ad idem, jam, & in perpetuum obstrictam declarat. Si quis autem Regum Poloniae presens Fœdus ruperit, & Respub. consiliis & armis, seriò se ei non opposuerit, Respub. de damno & injuria illata S. R. Majestati Sueciæ debitam satisfactionem prestabit.

Articulus XXVIII.

Si quæ Regna, Republicæ, & Status, hoc Fœdere,
com-

comprehendi, idemque, quoad omnes partes, comprobare velint, unanimi utriusque Pacificentium partis consensu admittentur, & recipientur.

Articulus XXIX.

Præterea de eorum Principum ac Potestatum fidejussione vel garantiâ, super hoc Pactum conjunctim expectandâ, conventum est, qui eandem in se, propter publicum commodum, suscipere velint, quorumque salus & conservatio Regnorum Sueciæ & Poloniæ quam maximè interfuerit.

Articulus XXX.

Denique, præsens conventio hoc modo feliciter peracta, utrinque intra hebdomadam, à die subscriptionis computandam, optimâ usitatâque formâ ratiabitur, exemplaribus ratiabitur, intra præfatum tempus commutatis. Atque ut eò firmior & stabilior permaneat, Respublica eandem proximis Comitibus, non modò iteratâ ratiabitione omnium Ordinum, se confirmaturam, sed etiam volumini Legum & Constitutionum Reipub. universalium, tanquam Legem inviolabilem, universalem, inque perpetuum observandam, inserturam esse sanctè promittit. In quorum omnium testimonium & fidem, tanquam Nos, Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ Legati Extraordinarii, quam Nos, Sacræ Regiæ Majestatis Poloniæ & Reipublicæ Commissarii, præsentem Tractatum, cujus duo Exem-

Exemplaria ejusdem tenoris scribi, literisque mandari fecimus, manibus propriis signavimus, ac Sigillis Nostriis corroboravimus. Dabamus Varaviae, in Suburbio Cracoviensi, & quidem in Cœnobio Carmelitarum Discalceatorum, die ^{XVIII.}_{XXVIII.} Novembris, Anno Millesimo Septingentesimo & Quinto.

(L.S.) *Arwed Horn.*

(L.S.) *Georg. Wachschlager.*

(L.S.) *Justus von Palmenberg*

(L.S.) *Chrystom. Benedictus Gninski,*
Episc. Camen. Abbas Wagrov.

(L.S.) *F. Zapolski,* Castell. Sirad.

(L.S.) *Francisc. Grzybowski,* Castell.
Junivladislavienfis.

(L.S.) *Francisc. Dembinski,* Castell.
Sandec.

(L.S.) *Stanisl. Tarto,* Præf. Cul.
Reg.

(L.S.) *Francisc. Lanckoronski,* Succam.
Cracoviensis.

(L.S.) *Andreas Joan. Zydomski,* Vexillifer
Cracoviensis.

(L.S.) *Albrachtus Dembinski,* Vexillif.
Ducat. Zatorienf. & Oświęc.

(L.S.) *Vladislaus Poninski,* Stabuli
Regni Vice-Præf. Cul.

(L.S.) *Vladislaus Czarnkowski.*

(L.S.) *Michaël Sapieha.*

(L.S.) *Christophorus Zawisza.*

(L.S.) *Josephus Corvinus Piotrowski,*
Tribunus Czerniechoviensis.

Reuterholm. J. Adlerberg.
Secrett. Legationis Suet.

Stephanus Vrbanowski,
Secret. Confed.

NOS CAROLVS, DEI gratiâ Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Scaniæ, Esthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremae, Verde, Stetini, Pomeraniæ, Casubiae & Vandaliae, Princeps Rugiæ, Dominus Ingridiæ & Wismariae, necnon Comes Palatinus Rheni, Bavariae, Iuliaci, Cliviae, & Montium Dux; Omnibus & singulis, quorum interest, aut ullo modo interesse poterit, notum testatumque facimus. Quod cum ad renovandum Olivense Foedus, illudque pro habitu presentis temporis amplificandum, Nos inter & Serenissimum ac Potentissimum Principem, Fratrem, Amicum, & Vicinum Nostrum Charissimum, Dominum STANISLAVM PRIMVM, Poloniae Regem, Magnum Ducem Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kijoviae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Livoniae, Smolensciae, Severiae, Czerniechowieg, &c. &c. &c. necnon Rempublicam Poloniam, per denominatos utrinque Legatos ac Commissarios, Varaviae Tractatus sit institutus, atque hoc Anno die decimâ octavâ Novembris ab iisdem conclusus atque signatus, sensu ac tenore, quo hîc insertus reperitur: Universis ac singulis &c. Igitur supra memoratum Tractatum in omnibus & singulis Punctis ac Clausulis, sicut hîc verbotenus descriptus ac insertus legitur, approbavimus, & ratihabimus, quemadmodum etiam, virtute presentium, illum approbamus & ratihabemus, Regio verbo spondentes, Nos omnia

ac

E

ac singula, in eodem comprehensa, religiosè observaturos
ac impleturos, neque, quantum in Nobis erit, unquam
passuros, ut ullo modo ac pretextu violetur ac infringatur.
In quorum majorem fidem hoc Diploma, manu Nostrâ sub-
scriptum, Sigillo quoque Regio corroborari jussimus. Quod
factum est in Castris Nostris ad Błoniam, die vigesimâ
quartâ Novembris Anni à nato Salvatore supra Millesi-
mum Septingentesimi Quinti.

CAROLUS.

(L. S.)

C. Piper. mpp.

NOS STANISLAVS PRIMVS, DEI gratiâ
Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Rus-
siae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kijoviae,
Vothyniae, Podolie, Podlachiae, Livoniae, Smo-
lensciae, Severiae, Czerniechowieg, &c. &c. &c. & Res-
publica Poloniae, universis & singulis, quorum interest,
aut ullo modo interesse poterit, notum testatumque faci-
mus: Quod cum pro habitu praesentis temporis, atque mu-
tuam securitatem ac defensionem, è re visum sit, inter
Nos ex una, atque Serenissimum ac Potentissimum Prin-
cipem, Dominum CAROLVM DVODECIMVM,
Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regem, Magnum
Principem Finlandiae, Ducem Scaniae, Esthoniae, Livoniae,
Care-

Careliae, Breme, Verde, Stetini, Pomerania, Cassubie,
& Vandalie, Principem Rugie, Dominum Ingrie &
Wismarie, necnon Comitem Palatinum Rheni, ac Bava-
riae, Iuliaci, Clivie & Montium Ducem, &c. &c. &c.
Fratrem, Amicum, & Vicinum Nostrum Charissimum, ex
altera parte, vetus renovare Fœdus, auctiorique nexu ad-
stringere, quod per constitutos utrinque Legatos & Com-
missarios, ^{XVIII.} _{XXVIII.} iusta auctoritate instructos, Varsovia die
Novembris Anno Millesimo Septingentesimo Quinto con-
fectum signatumq; est, sensu ac tenore, quo hîc insertum repe-
ritur: Universis ac singulis &c. Idcirco supra memoratum
Fœdus in omnibus & singulis Punctis & Clausulis appro-
bavimus, & ratum habuimus, Regio verbo spondentes,
Nos omnia & singula, in eodem comprehensa, religiose
& inviolabiliter observaturos & impleturos, observariq;
& impleri curaturos, neque, quantum in Nobis erit, pas-
suros, ut à quopiam sub quocunque pretextu violetur &
infringatur. In majorem horum omnium fidem, hoc Di-
ploma, Manu Nostrâ subscriptum, Sigillo quoque Regio
muniri iussimus. Quod factum est die Quintâ Decembris,
Anno Millesimo Septingentesimo Quinto.

STANISLAUS REX.

(L. S.)

Adamus Radonski, Capitaneus
Inovtodensis, Secretarius &
Notar. Cubicul. S. R. M. mpp.

NOs pariter infra scripti Senatores, & Equestris Ordinis, à Serenissimo Rege STANISLAO PRIMO, & c. & c. & c. & Ordinibus Regni Magniq; Ducatus Lithuaniae Confederatis, delegati Commissarij, constare volumus, quorum interest, universis & singulis. Quia, vigore potestatis Nobis à Sacra Regia Majestate & Republica Confederata concessæ, nomine Eorundem, presentia Fœdera, cum omnibus suis Articulis, Punctis, Clausulis, ut sunt præinserta, approbamus, & ratihabemus, perpetuò & in ævum, nec ab ullo Reipublicæ Statu, Vasallo, Officiali, aut Subdito, quovis modo violari Nos passuros, promittimus, & cavemus, Nos Diplomata ratificationis hujus Pacti, tam Sacra Regia Majestatis, quàm hoc Nostrum, in proximis Comitij Regni, Generalibus Constitutionibus confirmaturos, & volumini Legum Nostrarum inferi curaturos. In cujus rei fidem, manibus Nostris hancce subscriptam approbationem Sigillis Nostris communicimus. Datum ^{XXV. Novembris} Varaviae, die V. Decembris Anno Millesimo Septingentesimo & Quinto.

(L.S.) Casimirus Sapieha, Palatinus Vilnensis, Summus Dux M. D. L.

(L.S.) Josephus Potocki, Palatinus Kyoviensis, Capitaneus Halicensis.

(L.S.) Georgius Warfzycki, Castellanus Lanciencsis, Capitaneus Petricoviensis.

(L.S.) Andreas Morfztyn, Capitaneus Siradiensis.

(L.S.) Franciscus Desiderius Jagniatkowski, Pocillator Lanciencsis.


(L.S.) Petrus Boglewski, Dapifer Cernensis.


(L.S.) Stanislaus Kozuchowski, Pincerna Terra Victunensis.

(L.S.) Georgius Sapieha, Dapifer M. D. L.

(L.S.) Franciscus Eperies.








R...
C...

R...



the scale towards document

n zutwieder' lauffende Dinge auszuüben/
das wichtigste ist/ gegen Unseren ge-
Eltern Ibro Hobeiten/ Unsere Frau
nd Unserm Herrn Vater/ so große
und Beringschähigkeit öffentlich an den Tag
unter allerley dabey gebrauchten unanständ-
lungen solche weitausehende und gefährli-
n fund zu geben/ daß nicht allein obgedachte
geliebteste Eltern/ sondern auch Wir
e Ruhe und Wohlfahrt unsers Reichs in
hen Zustand hätten versetzt werden können;
it denn/ um dieser offenbahren hintenansetzung
Ibro Kayserlichen Majestät Ver-
und derselben gänglich entgegen gesetzten Con-
nten Herzogs von Curland und seinen weit-
/ Uns/ Unsern geliebtesten Eltern/
hen Familie und gankem Reich gefahr-
hten und Anschlägen bey Zeiten vorzubeugen/
nden gesehen/ auf allerunterthänigst inständi-
en und Bitten aller Unserer getreuen Untertha-
ohl Geistliche als Weltlichen Standes/ ge-
erkog der Regentschafft zu entsetzen/ und auff
gleich